



BIBLIOTECA  
COMUNALE  
DI TRENTO



UNIVERSITÀ DEGLI STUDI  
DI TRENTO  
Dipartimento di Lettere e Filosofia



FONDAZIONE  
**CARITRO**  
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

FERRO ANGELO, *Oratio per reverendum magistrum Angelum Ferrum Venetum theologum, ordinis Eremitarum Sancti Augustini. Coram patribus Concilii Tridentini habita. M.D.LXII.*, Riva del Garda, Giovanni Battista Bozzola (Riva del Garda, Jacob Marcaria), 1562.

Esemplare digitalizzato:

Trento, Biblioteca comunale, T o op f 93

LINK: <https://bdt.bibcom.trento.it/36>

[BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TRENTINA](#)

progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*



COMUNE DI TRENTO



STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro (“Bando Archivi 2014”), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell’Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l’University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All’interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l’Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell’edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation (“Bando Archivi 2014”), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.



Misc. I.C. c. 104.

C. M. H. 131



BIBLIOTECA  
COMUNALE  
TRENTO

G
2 -op
f
108

BIBLIOTECA COMUNALE  
TRENTO



*ex libris*



K 2410711

D 2383613

5tc1

T 0-op f 93

M. I. C. C. 43  
104

L. Martini 1562.



# ORATIO

PER REVERENDVM MAGISTRVM

ANGELVM FERRVM VENETVM

THEOLOGVM, ORDINIS

*Eremitarum Sancti*

*Augustini.*

CORAM PATRIBVS

Concilii Tridentini

habita.

M. D. LXII.



RIPAE.

AD INSTANTIAM Baptistae Borolae:

1562.





# ORATIO

IN SACRO SANCTO OECUMENICO  
CONCILIO TRIDENTINO  
CORAM PATRIBUS IN

*Dominica Tertia Quadragesimæ, Per*

*Reuerendum Magistrum Ange-*

*lum Ferrum Venetum Theo-*

*logum, Ordinis Fratrum*

*Eremitarum Sancti*

*Augustini*

*habita.*

M. D. LXII.



**I**GO Illustris. ac Reuerendiss. huius Sacrosancti Oecumenici  
Concilij Præsidis, in hunc ornatissimum dicendi locum meorum  
maiorum mandato, de hodierna Euangelij Lestione verba fa-  
cturus accessi, verum quia tanto oneri me impari esse  
intelligo, Christum Dominum Nostrum, qui hodierno die muti lin-  
guam soluit, precabor, vt & quæ dicturus sum mihi suggerat, &  
labia mea aperiat, quo præsentis Euangelij misteria contemplari,

atque explicare valeam; quem pro sua clementia, ac pietate, qua dat Spiritum bonum petentibus se, factum non dubito. Idcirco orator vos uelim, ut ad me audiendum benignas aures, ac propensum animum afferatis.

ERAT (inquit Euangelista) IESVS eiciens demonium, & illud erat mutum. Homo ( Amplissimi Patres ) inter corporales, ac visibiles creaturas præstantissimus statim ut peccauit, mox iusto dei iudicio potestati Sathane traditus est, qui non solum illum tentare, sed quod grauius est, in variis ac perniciosas admodum tentationes inducere conatus est; præterquam quod etiam multis corporalibus morbis atque incommodis illum ipsam affecit, & onerauit. At Deus illius commiseratione ductus incredibili pietate illum sanando ad se reuocauit, in plenitudine tamen temporis, hoc quam maxime fecisse legimus, cum Deus per Christum brachium virtutis sue hominem suis numeris absolutum reddidit, cum ab omni morborum genere purgando, tum corporis admanifestandam gloriam Dei in illo, tum anime ad eius salutem, quæ omnia ab Euangelistis gestorum Christi pijs, ac fidei scriptoribus uidere licet. Vno tamen admiratione digno contenti erimus, quod quidem quasi ob oculos hominibus die ab Euangelista nobis proponitur. Nam hominem diaboli opere mutum effectum, mox cunctis audientibus loqui fecit. At tanti ac tam admirabilis operis magnitudine, humiles turbæ stupore quodam confectæ admirari cœperunt, & fortasse parum aberat, quin ipse turbæ crederent. Superbi vero & arrogantes scribæ, & Pharisei cæca inuidia exagitati, Christi admirandum, & nunquam antea auditum factum, ne turbæ crederent, gloriosiorque Christus inde appareret, calumniari, ac obscurare conabantur. Pro inde hoc præclarissimum factum maxima admiratione dignum in auctorem diabolum inuidi referre nituntur, dicentes intra se. In Beelzebub Principe demoniorum eicit demonia. Vnde in illos quod Regius Propheta cecinit commode dici potest. In medio inuentus tuæ mentientur tibi inimici tui. Quid mirum quod superbi, & arrogantes Iudei hoc faciant, quando ad credendum superbiam, atque inuidiam impedimentum semper extitisse nemini diuinarum litterarum studio obscurum est aut dubium? Inquiunt enim præstantes ac pijs interpretes. Quomodo Eua communis omnium mater dia-

hole credidisset, nisi antea in mente eius præcessisset elatio? Et veritas Christus nonne Iudeos de incredulitate arguens, cur etiam illi ipsi credere non possent ostendens dicebat. Quomodo potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis.

A T Christus Dominus noster cogitationum omnium nostrarum inspector, qui novit cogitationes hominum quoniam vanae sunt, qui que in mundum venerat ut veritatis testimonium perhiberet, miraculi veritatem a Iudeis obscurari non est passus, sed Iudeos ipsos cum suae falsitatis, tum impietatis duabus validissimis rationibus convicit. Vna sane quæ ab hominibus assidua verborum consuetudine dici solet. Nam in ore omnium trita est vetustate sententia. Concordia parvæ res crescunt, discordia maxime dilabuntur. Idcirco Christus Dominus noster, qui comprehendit sapientes in astutia sua, in deo suæ falsitatis convincere volens ait. Omne regnum in seipsum divisum desolabitur. Quæ enim domus tam stabili, quæ tam firma civitas, quæ non odijs, et disidijs brevi possit everti? Cum vero regnum Satanae maneat, manserit, et post hoc mansurum sit, divisum non esse perspicuum est, quod si divisum non est, quo nam pacto perditorum huiusmodi Spirituum alterum alteri, quo ex corporibus obsessorum hominum illi eo exeat, vim facere possit non video. Alia ratio aduersus Iudeos hæc est. Si ego in Beelzebub principe Demoniorum eicio demonia, filij nostri in quo eiciunt? Hoc est exorcista ad expellendos demones sub Davide, et Salomone instituti in quo eiciunt, dicite mihi? Vel secundum alios, Apostoli a gente vestra ortum habentes, discipuli vero mei, quos eicere demonia videtis in quo eiciunt? Qui si in Beelzebub principe demoniorum eicerent, atque ipsos fugarent, ergo maiorum vestrorum pia ac sancta instituta reprehendatis, quod si non in Beelzebub, sed in Dei virtute illi hoc faciunt, cur in Demonis virtute mihi hoc crimini datis, et non aperte potius me eadem virtute id efficere quod exorcista, vel Apostoli mei facere consueverunt, omni inuere deposito consuemini? His sane rationibus infirmate sunt contra eos lingue eorum. Tandem in maiorem indecorum

confusionem Mulier quædam, quæ dominum disputantem cum Iudeis ac differentem iam audierat; miraculique magnitudine permota, quam sane veluti infirmant ad confundendum fortia Deus elegerat, non phariseorum autoritate perterrita, sed spiritus Sancti veritate illustrata, eorum temeritatem coarguit; & quo eius prædicatio de Christo facilius ab omnibus audiretur, extollens vocem, Christum dominum nostrum, quem iudei calumnijs deprimere querebant, diuino numine afflata, vere summis laudibus extulit. Illi nanque Christum quasi fœdus cum diabolo iniisset criminabantur, quod quidem deo optimo maximo execrabile semper admodum fuisse diuinarum literarum monumenta testantur. Nam scriptum legimus. Magos, & Ariolos non patieris uiuere. Hæc uero Mulier Christum non cum diabolo fœdus iniisse prædicat, sed longe aliter rem se habere ostendit. Nam Christum eo beatiorem, quo nihil beatius esse potest, appellat, propter quem uenit, qui illum gestauerat, beatus quoque diceretur.

AMPLISSIMI Patres, cum omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, Christum igitur Dominum nostrum ueritatis omnis auctorem ac Magistrum, vos uiuersi quos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam suam, qui eodem Spiritu sancto duce huc uenistis, omni qua potestis ratione, imitari oportet. Nam quemadmodum ueritatis Magister Christus ueritatem a Iudeis obtenebrari seu conculcari (quemadmodum Euangelij Lectio plane nobis ostendit) non est passus, sed hanc ipsam oppugnantibus iudeis in faciem semper restitisse, scriptum legimus. Nam aduersus Saduceos de Resurrectione prauè sentientes, sacris scripturis in medium allatis, quas eos ignorare, neque intelligere dicebat, suæ impietatis comicit, earundem sacrum literarum dictis atque sententijs eosdem, quomodo ille ipse esset filius Dei non credentes, quoniam David illum ipsum Dominum appellat, publice superauit. His igitur rationibus, quas paulo ante commemorauimus, iudeis in Spiritum sanctum dire blæstantibus, Christus est aduersatus. Ita & vos (Patres amplissimi) pestilentem hæreticorum doctrinam

quorum nequitiae virus in dies longius serpit, quibus undique ual-  
lati sumus. Nam malum hoc iam villas, ciuitates plurimas,  
prouincias, & quod uobis omnibus tanquam catholicae uerita-  
tis defensoribus maxime terrori esse debet, prodolor, regna  
occupauit. Hanc itaque pestilentem Doctrinam sacrarum litem-  
rarum monumentis, plenariorumque conciliorum, quorum est  
in Ecclesia saluberrima auctoritas, Sanctorum quoque ueterum  
patrum testificatione, pijs & uniuersalis Ecclesiae consuetudinibus,  
nec non rationibus, atque exemplis imitatione dignis,  
& quod omnium maximum est atque praecipuum, optimo uita-  
e exemplo, ut dictis facta concordent penitus confutetis, atque  
zizania ista, quae Pastoribus dormientibus inimicus homo su-  
perseminauit, uobis uigilantibus radicitus euellite, Ecclesiae supra  
quam dici potest fluctuanti, & quasi periclitanti subuenite, ut  
quiescat aliquando ab uniuersis ferme haeresibus tandiu vexata  
Mater Ecclesia. Ut uero hoc commodius faciatis procul ab sit  
ab animis, & cogitationibus uestris omnis uestri commodi ra-  
tio, tantum dei timorem, atque honorem, nec non sponsae Chris-  
sti Ecclesiae pacem praeculis habentes, omnem uestram cogita-  
tionem in tutanda Catholica ueritate, a qua omnis salus profi-  
ciscitur conseratis. Quid uis potius perpeffuri quam tam pium,  
necessarium, salutareque Ecclesiae negocium deseratis? Ad hoc  
enim, hic uenistis, ut uestra omnium diligentia, ac sollicitudi-  
ne opera diaboli dissoluantur, quorum praecipua haereses sunt,  
& schismata. Non minoris esse auctoritatis hoc praesens Tri-  
dentinum Concilium, quam alia plenaria concilia unquam fue-  
rint cogitetis. Quorum Conciliorum patribus in illis ipsis con-  
sidentibus aduersus haereticos, qui malitiae uelamentum, ut ait  
Apostolorum Princeps, libertatem habentes, Catholicam uerita-  
tem Spiritus sanctus, Spiritus ueritatis reuelauit; Quibus  
plenarijs Concilijs celebratis, totius Ecclesiae paci optime con-  
sultum fuit, donec Diabolus pacis inimicus nouas haereses, uel

iam damnatas isto occulto tamen nobis fortasse iudicio permit-  
tente excogitasset, vel excitasset; Quas etiam Deus optimus  
Maximus rerum omnium providus esse non sineret, nisi in Eccle-  
siae utilitatem eas facile vertere posset. Quemadmodum Joseph  
a fratribus venditus iam vita functum existimantibus dixit. Co-  
gitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum. Ita  
haereticorum occasione excitantur studiosorum ingenia diuinarum  
literarum obscura loca elucidantur, unde post haereses ma-  
gis quid Ecclesia teneat patet, praeterquam quod electi a  
deo, fideles tentantur probatique magis inveniuntur. Unde  
beati tunc sunt, qui non fuerint scandalizati in doctrina Chri-  
sti, quorum plenariorum Conciliorum auctoritati, ac iudi-  
cio omnes stare debent, neque cuiquam absque suae salutis pe-  
riculo pertinaciter refragari, ac temere contradicere licet; nam  
qui Ecclesiam (quam Sacro Sancta plenaria Concilia represen-  
tant) non audierit, tanquam Ethnicus, & Publicanus haben-  
dus est. Quorum Conciliorum auctoritati tantum maiores no-  
stri, ac Sancti viri detulerunt, ut nunquam aduersus illa vel  
scripsisse, vel aliquid dixisse inueniantur. Quid de Niceno Con-  
cilio Diuus Ambrosius dicat, legatur, qui verbis Apostoli ad  
Romanos alluderis ait. Quis me separabit a fide? 18. patrum  
Niceni Concilii & quae sequuntur. Quid Augustinus Basilii,  
Hieronymus, & alij de plenariorum Conciliorum auctoritate di-  
cant veritatis catholicae inimici attendant, quorum patrum non  
sunt digni solvere corrigiam calciamenti. Quid S. Gregorius Ec-  
clesiae Romanae praesul de quatuor Generalibus plenarijs Conci-  
lijs dicat cum aduertant, quae non secus ac quatuor Euangelia  
veneratur. Romanae quoque Ecclesiae detrabere cessant, de  
qua B. Ambrosius loquens ait. In omnibus cupio sequi Romanam Ec-  
clesiam. De qua B. Augustinus ait. Semper in catholica Ecclesia Apo-  
stolicae Sedis principatus viguit. Quantique ille ipse tatus doctor summi  
Romanis

Romani Pontificis auctoritatem in hæreticos confutandos fecerit ;  
Epistolæ ipsius legant .

**H**IS igitur rationibus solida fide ac firma in Deum spe animati , iam ceptum Dei opus perficere , & adoptatum suum perducere contendite Christo enim Domino nostro in medio vestri posito , nihil erit quod arduum vobis sit , atque difficile ; in eo sane facietis virtutem , & in lumine eius videbitis lumen . Nam fidelisque , qui dixit . Ego vobiscum sum vsque ad consumationem seculi . Fidelis est , qui dixit . Ego rogabo Patrem & alium paraclytum dabit vobis , vt maneat vobiscum vsque in æternum . Fidelis est qui dixit . Nolite timere , ego vici malignum . Non hæstemus igitur dissidentia , sed confortati solida fide , ac firma spe , plenissime , sciamus , quia quæcumque promissit Christus potens est , & facere . Est enim ille fortis armatus intrabit in domum fortis , & alligabit fortem , armaque eius auferet , atque spolia distribuet . Sed quid ; nonne nouorum inventores eodem fere argumento , quo iudeos ipsos hodierno die Christus reuicit , reuincuntur & ipsi ? An non illi ipsi inter se diuisi sunt , atque contrarij . Eorum igitur doctrina nullatenus extare poterit . Nam Spiritus veritatis , qui est Deus pacis , illic esse non potest . Quæ tamen omnia vt facilius , cæleriusque fiant a deo optimo , maximoque petenda sunt .

**V**OS igitur Patres Amplissimi , mysterijs diuinis contemplandis atque examinandis , alijsque a vobis ad vniuersæ Ecclesiæ statum pertinentibus decernendis , non viribus vestris fidentes , sed orationibus , ieiunijs , alijsque pijs operibus veritatem catholicam inuenire , reliquaque recte disponere satagite . Hæc vna est habenda ac inuenienda Catholica veritatis via , neque hoc solo contenti esse debetis , verum etiam quantum in vobis est , lucrari fratres vestros , qui de recta via deflexerunt , laborate . Omnes vias persequamini , quibus eorum saluti consulatur . Itaque a beneficentissimo deo precibus contendite , vt conuertat corda patrum in filios , aperiatque illis ostium cordis , & ad se animum ac malam demique mentem reuocet , ne amplius mendacio fidem adhibeant , sed maiorum suorum piam , atque Catholicam fidem , ab illis


diu integram atque inconcussam retentam, quam pœncis ab hinc annis  
a diabolo suggerente seducti miseri deseruere, in se reuerso deo ina-  
spirante amplectantur, & colant, & nox eorum sicut dies illumine-  
tur, sicut tenebre eius, ita & lumen eius.

AD vos vero in hoc Sacro Concilio, Illustrissimi & Reueren-  
dissimi Apostolicæ sedis Legati, pro muneris vestri ratione maxi-  
me pertinet, vniuersos huius Sanctæ Synodi Patres inuinculo pacis  
retinere, nihilque in hoc ipso tempore quo hæc Sancta Synodus cœ-  
lebrabitur, dici aut fieri permittere, quod eiusdem dignitatem, seu  
existimationem imminuere, vel eorum qui foris sunt corda, quo suis  
erroribus tenacius in hæreant, concitare possit, quin potius contradi-  
centium ( vt ita loquar ) animi feritas, aliquando mitescat, seu eor-  
um cordis duritia emolliatur. Tunc enim apud vos fortasse non apud  
se Christum Dominum Nostrum, atque Catholicam Ecclesiam esse  
intelligent, excussumque Romanæ, seu Catholicæ Ecclesiæ iugum inu-  
genti gaudio denuo recipient. Quod si hoc vestra opera, ac diligen-  
tia fiet, Clementissimi Dei, qui uult omnes homines saluos fieri,  
& ad agnitionem veritatis venire, voluntatem facietis, ac San-  
ctissimi Pij Quarti Pontificis Maximi, cuius hic vices geritis, &  
pium, Sanctumque propositum implebitis, ac omnium tam ab-  
sentium Catholicorum Principum, quam omnium qui hic  
adsunt opinioni, atque summæ expectationi re-  
spondebitis, tam dignioperis vestri coe-  
piosam, mercedem a Deo Opti-  
mo, Maximo omnium bono-  
rum largitori,  
accepturi.









BIBLIOTECA  
COMUNALE  
TRENTO

T  
0  
op. f  
93

Museo I.C. 43  
104

L. Martini 1562.



O

REGISTRUM

NETVM

NIS

YS



AD INSTANTIAM Baptistae Borolæ;  
1562.